



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Epitome Tribvnalis Sacramentalis Reverendissimi Patris  
Petri Marchantii**

**Zurmöllen, Heinrich**

**Neuhusii, 1677**

Art. 5. De peccatis contra votum paupertatis

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9734**

temporalia ita abdicat, ut nec conventui in communi, nec particularibus personis, etiam superioribus competere possit. Et hæc est altissima paupertas, quam voent omnes qui sub regula S. Francisci militant.  
*Exceptis PP. Conventualibus.*

4. Quatuor denique terminis concluditur paupertas Religiosa in particulari:  
 1. Ut rebus tanquam non suis. 2. Ut de voluntate rationabili superiorum. 3. Ut juxta modos in Regula vel constitutionibus cujuscunq; Religionis expressas. 4. Ut in intra limites honestatis & modestiæ.

## *Articulus Quintus.*

*De peccatis contra votum Paupertatis.*

1. **P**eccant mortaliter: juxta rationem gravitatis materiæ, qui ante Professionem, sibi pecunias, census, redditus, praestationes, & similia quovis nomine nuncupentur reservant, & quamdiu in illis perseverant, sunt in statu damnationis, illa enim reservatio est directe contra votum paupertatis, & qui sic reservat convincuntur in actione sacra & religiosa votorum, mentiri Deo & Spiritui S.

2. No-

2. Novitius qui sibi aliquid retinuit, ut possessive de re illa disponere, uti, gaudere, absque dependentia superiorum intendat, professionem emittens, peccat mortaliter.

3. Peccant mortaliter, qui hæredes vel hæreditatem onerant, aliquo simili peculio, suæ personæ tanquam domino, sive usu fructuario, sive alio jure, ad propriam & independentem dispositionem, vel usu, felicito.

4. Qui legata simili reservatione sibi facta, ita in se assumunt, ut non aliter dari, vel solvi sustineant, imo impedianc solventur, nisi juxta eorum voluntatem, quamdiu in tali voluntate & statu perseverant, in peccato mortali existunt.

5. Peccant mortaliter fratres, qui permittunt sibi legata quædam annua à parentibus relinqui, suo arbitrio & rogatu disponenda, pro suis vel conventuum necessitatibus.

6. Quidquid sapit Dominium, proprietatem, usum fructuum, dispositionem, sive administrationem liberam, in quacunque remobilisive immobili, sive per modum redi-

reditus, proventus, pensionis, independentis dispositionis, alicui regulari singulariter adveniat, absque proprietatis vitio illi convenire non potest, est autem proprietas, in re moraliter reputata notabili & gravi, peccatum mortale.

## Articulus Sextus.

*De voto Obedientie.*

I. **O**bedientia religiosa est actus virtutis Religionis, quo adultus suo juri & voluntati, sponte & voluntarie, quantum potest propter Deum, perpetuo renuntiat, se ipsum in aliqua religione approbata, legitimis superioribus tradens, ad ei imperandum, de eo disponendum, sive eo utendum, intra terminos liciti, & regulæ Religionis, quam profitetur; Dicitur (*actus virtutis Religionis*) non enim inter virtutes morales absque injuria recenseri potest, quæ pro objecto habet Dei solemnem cultum, actus enim ejus proprii sunt, obediens homini propter Deum, sive Dei locum tenenti. Unde B. Laurentius Justinianus: *L. de ligno vita tract. de Obedientia,*